Quelle: https://manuscripta.at/?ID=928
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ornamia cui sit laus decus et gloria Amen·

Missa de sancto leopoldo confessore pro Marchione

In memoria eterna erit iustus ab audicione mala non time
bit Ps Beatus vir qui timet dominum in mandatis eius volet
nimis Gloria patri Collecta Deus qui sanctum leopol
dum ex principatus [illegible] curis seculi huius immaculatum
ad regnum celeste [illegible]duxisti· concede propicius: tua clemencia
ita nos per hec temporalia dirigi ut eterne vite consortes effici
mereamur per dominum Epistola Beatus homo qui invenit sapi 299
Gradus Lex veritatis fuit in corde ipsius et iniquitas non
est inventa in labiis eius vers In pace et equitate am
bulavit et in monte sancto domini in eternum requiescet Alleluia
vs Gaudeat ergo terra austrie tanti principis leopoldi
sublimata triumpho Sequencia Lux orta est populo omni
laude digna viget sanctus Marchio gratia benigna Exultet ecclesia
pro leopoldo laudum psallat carmina voce corde linguis Quanta
quanta iusticia fide sit clemencia extirpando vicia rexit hic
pacifice Pietatis opera perfecit largissime unde pius Mar
chio proclamatur undique Ornata virtutibus cunctis carens vi
ciis bonis plena moribus divi nata cesaris Leopoldo tradi
tur proles multa nascitur dicata precipue duobus episcopis Duo mo
nasteria construxit hic fundatus reformavit cetera largis cum
redditibus Ubi monasterium locaretur aptius coniugis flameo
lum ostendit divinitus Iam eius anima congaudens iam sanctis
fulget nunc in ecclesia maximis miraculis Conditorem omnium nostrum
redemptorem adoremus omnes votis sincerissimis Ut donet
per merita pii leopoldi nos hic et in patria pia pace frui Amen
Ewangelium Homo quidam nobilis require in communi confessorum· Offert
Dedit dominus confessionem sancto suo quod de omni corde suo lauda
vit eum et dilexit deum qui fecit illum Secreta Munera quesumus
domine oblata sanctifica· et intercedente beato leopoldo confessore
tuo· a peccatorum nostrorum nexibus nos absolvere digneris·
Communio Gloria et divicie in domo eius iusticia eius manet in seculum seculi·